

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0371

0369

0375

0365

0380

0360

0420

0320

0470

0270

0870

Ende

Anfang

358

dexteram. Hanc Gazam postea describam. Istae ergo sunt quinque metropoles illius regionis Palaestinae, plures alias civitates sub se habentes. Processimus ergo per plana Palaestinae contra austrum et montana Judaeae ad sinistram habuimus, mare vero mediterraneum in dextro latere, et ita toto die in ardoribus solis itineravimus usque ad ejus declinationem. In occasu solis venimus ad quandam villam, quae dicitur Zucharia, et in diversorium, quod ante villam est, declinavimus et ibi bestias exoneravimus et ad manendum ibi per noctem nos disposuimus. Erat autem diversorium spatiōsum cum pluribus stabulis et habitaculis et munitum et muratum, quasi castrum, nec unum hominem in eo reperimus. Locatis igitur bestiis et rebus compositis instruximus pro coena et pro lignis colligendis per campos discurrimus et sepes agrorum et hortorum discerpsimus, quapropter rustici Sarraceni accurrentes cum lapidibus insequebantur nos usque in diversorium. Venerunt autem aliqui rustici portantes pullos et gallinas et panem et aquam, de quibus emimus et mactata volatilia coximus et jocundam et bonam coenam habuimus. Post coenam ostium diversorii obstruximus advolventes saxa grandia et super muros posuimus custodes propter timores nocturnos: timuimus enim, ne forte aliis exercitus etiam veniret et si fortior nobis fuisse, nos de diversorio repulisset. Sic enim moris est illius patriae, quod fortior de hospitio ejicit debiliorem; ideo ad defendendum nos disposuimus et lapides multos super muros portavimus ad obsistendum nocentibus. Adhaerebat nostro diversorio una muschea pulchra, in quam per foramina testudinis potuimus prospicere, (12 a) unde quidam peregrinus nocte per foramen in eam stercorizavit, cum quo nos in extremum periculum posuit, tamen antequam quis muscheam intraret, nos recesseramus. Prope etiam erat quaedam cisterna profundissima, de qua magno labore bona extrahebatur aqua. Pretiosae sunt in istis locis cisternae et aqua brevis et cara. Unde S. patriarchae Abraham, Isaac et Jacob leguntur plures fodiisse puteos, et litigia inter reges orta fuisse propter puteos, ut patet Genes. 26. Igitur nocte ingruente posuimus nos dormitum supra muri ambitum sub dio, quia cellulæ erant immundæ.

